



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 7. Iterata Protestantium molimina pro extorquenda sectæ suæ libertate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. tur: Verum invicta stetit eorum perti-
A. C. 1608. nacia: quapropter non exspectato Pro-
 testantium consensu quatuor Catholici
 Status, Equites ac Proceres numero ferme
 septuaginta non recensitis civitati-
 bus die decima sexta Octobris novo Regi
 Viennæ fidelitatis atque obsequii jura-
 mentum præstitere, quorum exemplum
 secuti superioris Austriæ Status anno
 sequenti die decima septima Maji eidem
 Matthiæ suam fidem Sacramento Lin-
 cii obstrinxerunt.

§. VII.

*Iterata Protestantium molimina pro
 extorquenda sedicæ suæ libertate.*

*Merc. Gal-
 lobelg. t. 6.
 lib. 3.
 Slavata
 t. 2. p. 9.*

Accepto Viennæ juramento Matthias
 Rex vigesima secunda Octobris die
 Posonium venit, a Proceribus Hunga-
 ris splendide exceptus: nona autem No-
 vembris die iidem quosdam articulos
 Regi obtulerunt, quorum hæc ferme
 summa est. I. Religionis exercitium
 in omnibus civitatibus & oppidis etiam
 in Regia liberum omnibus relinquatur.
 II. Propugnaculorum Præfecti ceteri-
 que Ministri non nisi Hungari bene me-
 riti sint, III. Diadema Hungaricum
 in Hungaria a laicis custodiatur. IV.
 Rex in Hungaria sedem habeat, eo ab-
 sente plena decidendi potestas Palatino
 mox

mox eligendo relinquatur, quo autem Sæc. XVII.
A. C. 1608.
defuncto provinciam Curixæ Judex interim administret. V. Jesuitæ in Regno nulli tolerentur, & Ecclesiasticis minus indulgeatur: Jam autem Protestantes Austriaci ad Posonienses Senatores quosdam ablegabant, qui ab eis armorum suppetias postularent, eo nequitix suæ obtentu, quod necessitas exposceret, ut Religionis suæ libertatem, quam precibus obtinere desperarent, armati expeterent. Verum Posonienses Georgium Tursonem aliosque ad Maximilianum Archiducem decernebant, qui pro Austriacis sectæ suæ sociis deprecarentur, quibus tamen Archidux hæc reposuit: „nunquam Matthiæ Regi in mentem venit, ut pacem publicam turbaret, aut quicquam contra ipsos indulta a Maximiliano Cæsare privilegia tentaret: Religionis autem libertatem partim validas ob rationes, partim ob mala & pericula a Pontifice & Hispaniarum Rege pertimescenda nullatenus in civitatibus permittere posset: polliceretur tamen, se illam extra urbes toleraturum, atque in Officiis nullam Religionis rationem habiturum, dummodo ipsi depositis armis Regi suo se submittant, & illam injuriam deprecentur.„ Accepto hoc responso Hungarici Oratores ad Au-

Au-

Sæc. XVII. Austriacos profecti illos monebant, ut
A. C. 1608. depositis armis sese Regi suo submitte-
 rent, eoquod Christiana Religio nun-
 quam gladio asserta & propugnata fuis-
 set, nec hac ratione Religioni consuli
 posset, cum periculum foret, ne ea,
 si victoriam pars adversa obtineret, pe-
 nitus amitteretur. Verum moderata
 consilia, ac debitæ submissionis officia
 nil profuere apud illos, qui sævitiam
 suamque oppositæ Religionis odium
 libertatis obtentu tegere decreverant.

§. VIII.

*Matthias in Hungariæ Regem inaugu-
ratus.*

*Merc. Gallo-
belg. l. c.
Petr. Reva
de Monar.
Hung. ant. 7.* **R**ebus utcunque pacatis Matthias pro-
 eligendo Hungariæ Palatino duos
 Catholicæ & totidem Lutheranæ Reli-
 gionis nominabat, ex quibus Hungari
 Illishascium elegerunt, Matthiam vero
 in Regem die decima quarta Novem-
 bris publice proclamaverunt: decima
 autem nona præfati Mensis die ejusdem
 coronatio ritu prorsus solemniter in Tem-
 plo Sancti Martini peracta est, qua oc-
 casione usus Illishascius vigesima octa-
 va Novembris die rursus pro Protestan-
 tibus Austriacis prolixè perorabat, Mo-
 ravæ quoque aliisque Imperii Princi-
 pibus pari supplicatione Regem fati-
 gant.